Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 961
Quelle:
Copyright:

Superbia habet venenum	*Basilisci*, et curatur	*Humilitate.*
Invidia	*Aspidis*	*Caritate.*
Ira	*Bufonis*	*Patientia.*
Acedia	*Cicutae*	*Prudentia.*
Avaritia	*Araneae*	*Restitutione.*
Gula	*Serpentis*	*Abstinentia.*
Luxuria	*Viperae*	*Continentia.*

Cum *Cicutam* Noster e *Plinio* describat *vermem villosum corrodentem frondes arborum* &c. repone *Erucam*. Ad calcem Opusculi: *Explicit venenum uiciorum Domini illius qui comparauit Anno Domini Millessimo Trecentesimo nonagesimo primo. Sabbato in festo sancte Marthe uirginis gloriose. Laus tibi criste quoniam finitur libellus iste.* Autorem ignoro.

VI. *fol.* 44. *Tractatus*, ut in calce, *de sacramentis satis utilis.* Catechesin dic, cujus initium: *Misericors et miserator dominus, cuius misericordie non est numerus* &c. De Eucharistia v. g. quaeritur: *Quare non laycis datur istud sacramentum sub duplici specie?* et respondetur: *Tres sunt cause primo, quia possent credere quod totus christus non esset sub utraque specie, 2° propter periculum quia de facili posset effundi sangwis, 3° ut ueritas respondeat vmbre, quia in lege nichil habebant non offerentes de libamine.*

VII. *fol.* 55. p. 2. *Incipit alter liber beati Bernhardi de interiori homine satis bonus.* Non tantum non *Bernhardi*, ne quidem hoc titulo, sed, ut rectius in calce, *Meditationes.* Extant inter subposita *Bernhardo* T. V. Edit. *Maur. col.* 319. hoc initio: *Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt* &c. Apud *Hugonem de S. Vict.* constituunt *Librum* IV. *de Anima;* verum nec ad hunc pertinent. Vide *Monitum* praev. in Edit. *cit.* Finis utrobique idem, igitur nihil eorum, quae in quibusdam *Codd.* adtexuntur.

VIII. *fol.* 63. p. 2. ut e calce petendum: *Tractatus magistri Adeurandini ordinis predicatorum qui dicitur Scala.* Extat etiam in Bibliotheca *Basileensi*, eumque memorans *Theoph. Spizelius* in *sacris Bibliothecar. Arcan.* p. 17. credidit autorem dictum fuisse *Aldebrandinum* (ita enim scribendum) *de Scala*, sed perperam. Audi ipsum Tractatum mox sub principium: *continet enim fides duodecim articulos quasi XII. gradus ex quibus spiritualis scala componitur iuxta illud apostoli. Hec est scala quam uidit Jacob* &c. Et iterum: *Circa scalam per quam debemus ascendere primus gradus est necessarius cuilibet christiano, est ille quem beatus petrus posuit dicens. Credo in vnum Deum* &c. Ita reliqui XI. Gradus ponuntur a reliquis Apostolis addendo, ut quorundam fuit opinio, viritim unum Symbolo Articulum. Igitur Tractatus inscribendus est *Scala Fidei*, sive *de Articulis Fidei;* horum enim est Expositio. Init: *Funiculus tri-*